



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 859. Usque Ad Annum 887

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1760**

**VD18 90117875**

§. 30. Concilium Vermeriense.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66112](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66112)

## §. XXX.

Sæculum IX.  
A. C. 863.*Concilium Vermeriense.*

Pronum est conjicere, Hincmarum has litteras non prius protulisse, quam in Concilio Vermeriensi, jubente Rege Carolo vigesima quinta Octobris eodem anno octingentesimo sexagesimo tertio. Nam in eo Concilio Rex Rotadam Romam mittere, ut Papa præceperat, constituit. Ibi etiam Papæ precibus dedit, ut filiæ suæ Judithæ & Balduino Comiti veniam concederet, & non diu post, cum Antissiodori moraretur, ipso annuente nuptiæ publico ritu celebratæ sunt; his tamen Rex non interfuit. Anno 863. 30. Nov. Regi adhuc dum Antissiodori præsentis Liudon Diaconus ab ipso Romam missus attulit Papæ epistolam, qua iterum instabat, ut Rotadam reciperet in gratiam & auxilia necessaria ad iter Romam capessendum præferet. Eodem Liudone deferente dedit epistolam Pontifex ad Hermentrudem Reginam, quæ Rotado adversabatur, significans, se eos, qui ad S. Sedem confugerent, repellere neutiquam posse. Tandem datis ad ipsum Rotadam litteris inter alia dicit: *Tua maxime interest, serio pensare, an tibi cujusquam delicti conscius sis, & an Episcoporum judicio acquiescere præstet, ne tu aliique itineris labores sine necessitate susci-*

*Ann. Bert.*  
863.*Ann. Bert.*  
*Hincmar.*  
*opuscul. 17.*  
*p. 246.**Nic. ep. 35.**ep. 36.**ep. 34.*

Sæculum IX. *suscipiatis. Si vero innocens es, confide*  
A. C. 864. *& veni. Nos quidem nunquam causam*  
*tuam, si justa sit, præsidio nostro desti-*  
*tuemus.*

## §. XXXI.

*Pipini junioris pœnitentia.*

*Ann. Bert.* Antiffiodoro Rex Carolus Nivernum  
 profectus in illa civitate Festum Na-  
 tivitatis Domini anno 863. celebravit.  
 Ibidem commoranti triste nuncium per-  
 fertur, Normannos Pictavium pervenisse,  
 & urbem quidem dato ingenti pretio  
 redemisse incendium, sed Ecclesiam S. Hil-  
 larii flammis fuisse consumptam. Bar-  
*bid. an. 864.* baris inde usque Claramontium in Arver-  
 nia progressis, Pipinus filius Pipini Regis  
 Aquitaniæ, Caroli nepos, non obstante  
 quod Monachum fuisset professus, ad hos  
 Infideles defecit, ipsorumque etiam Re-  
 ligioni nomen dedit. Sed non multo  
 post tempore ab Aquitanis structis infi-  
 diis captus, in Comitibus Pistensibus, men-  
 se Junio anno 864. celebratis, tanquam  
 Fidei desertor & patriæ proditor dignus  
 morte judicatur, & Silvanecti arcto car-  
*Capit. Car.* *bit. 36.* ceri traditur. Cum vero pœnitentiam  
 ostenderet, & desiderium redeundi ad  
 Monasterium, Rex Hincmarum hac su-  
 per re consuluit, qui mentem suam datis  
 litteris aperuit in hunc modum: *Confiten-*  
*tur omnia peccata totius vitæ suæ, sed se-*  
*cretæ*